desere abjice timorem futilem inanem. iacta super Dominum curam tuam et
ipse victoriam dabit. Et cum ~~eo~~ ceciderit non collidetur quia Dominus supponit
manum suam. Bene ergo et optimè quidem sperandum tibi est de ter opti-
mo Maximo Deo cuius tu fidem religionem honorem cultum adversus
hos perfidos Suecos defendis, foves ac protegis, qui et ad iustissimi
belli persequendi a religiosis opem praesidium voti hactenus pollicebitur.
Cogita etiam Imperator gloriosissime: maiores tuos è sepulchris suis tales per
me fundere voces Cave Imperator per Deos immortales ne iniurias
quas apud manes adhuc tulimus per summum dedecus non vindices, hoc sceptrum
quo nos cum viveremus in Germania gloriam propagando usi sumus vide
ne iustitiae virtutis immemor turpi pace torpescere sinas. Cogita
ab impiissimis hostibus prophanatas aras raptas ex ipsis altaribus sa-
cras virgines, praecipitatos ex sacris cathedris Antistites depraedatam
Germaniam miserèque desolatam solium Imperii maculatum, et denique aeter-
nam ignominiam maculam victoriis nostris esse illatam, quae nisi hostium sanguine
elui non poterit. Age igitur nove Imperator, voluisse maiores tuos
voluisse Germaniam totam voluisse denique Ecclesiam et Dei ter Opt.
Max: iniurias impium bellum non esse quod adversus impios geritur, pro